

Ad sextam respondetur ut ad secundum capitulum dictæ petitionis et præsentis responsionis responsum est.

99 Ad VII, de villa Palazzoli, respondetur dictam villam antiquissimo jure fuisse et esse jurisdictionis et pertinentiarum Marani, et ipsam villam acquisitam fuisse in bello similiter cum Marano per agentes pro Cæsarea Majestate, et tentam fuisse et possessam in ipso bello ante treugas et tempore treugarum et usque in diem præsentem per præfatos agentes, et 100 ideo jure justi belli et treugarum spectari et pertinere Cæsareæ Catholicæ Majestati.

Ad VIII, de jurisdictione prætensa Porpeti, respondetur ut in 2.^o capitulo præsentis responsionis responsum est.

Ad IX, de jurisdictione prætensa Strasoldi, respondetur ut supra.

Ad X de prætensa jurisdictione Monasterii aquilejensis, respondetur ut responsum fuit ad 2 capitulum dictæ petitionis.

Ad XI, de prætensa jurisdictione capituli Aquilejensis, respondetur ut supra.

Ad XII, de prætensa jurisdictione reverendissimi domini Patriarchæ Aquilejensis, respondetur similiter ut supra, referendo se ad responsonem factam ad secundum capitulum dictæ petitionis.

Ad XIII, de montanea Lastarum, respondetur quod nobiles de Besseno, in principio belli, jubente et consentiente felicis recordationis Cæsarea Majestate, recuperarunt montem de Folgaria antiquitus spectantem ad arcem et nobiles Besseni prædictos cum omnibus pertinentiis suis, in quibus posita est dicta montanea de Lastis, dictumque montem et montaneam possiderunt præfati domini in bello et tempore treugarum et usque in præsentem diem cum dictis pertinentiis suis tenent et possident, ideo jure justi belli et treugarum ad illos spectare et pertinere, non autem turbasse et occupasse et turbare, ut præfertur.

Ad XIV, de montanea Marcessinæ, respondetur illam jure antiquissimo et ad præsens jure justi belli et treugarum et usque in præsentem diem fuisse possessam per dominos Castri Ivani quantum ad jurisdictionem; quantum vero ad utilitates pascuorum et lignorum, per homines communitatis Grigni tentam et possessam fuisse.

Ad XV, de montanea Vezoni, negatur omnino quod sit communitatis Vincentiae nec de ejus territorio, imo fuisse per antiquissima tempora et usque in præsentem diem jurisdictionis Castri Sylvæ quantum ad ipsam jurisdictionem; quo vero ad utilitates,

hominum communitatis Levigi, nec communitatem Vincentie unque possedisse prædictam montaneam.

Ad XVI, de montaneis Campi Luci, Melegnæ et Beforte, respondetur sicuti responsum est ad capitulum 13 de montanea Lastarum, quoniam prædictæ montaneæ sunt sitæ in pertinentiis antedicti montis de Folgaria recuperati ut supra, e possessi haec tenus per eosdem nobiles de Besseno, negaturque quod dictæ montaneæ, tam de Lastis quam Campi Luci, Melegnæ et Beforte sint de territorio vicentino, quinimo fuere antiquitus de territorio arcis Besseni, licet post per multos annos per Dominos venetos et eorum subditos occupatae fuerint, tempore autem belli postea recuperatae cum ipso territorio et possessæ tempore conclusionis treugarum usque in præsentem diem per præfatos dominos de Besseno veros dominos et possessores earum.

Ad XVII, de villis Cervical et aliis de quibus in capitulo, respondetur ipsas villas et loca fuisse in justo bello acquisita per agentes prædictos Cæsareæ Majestatis, et tempore treugarum per præfatos agentes, dictamque mutam in Zaulis alias antiquitus fuisse Cæsareæ Majestatis prefatae.

Ad XVIII, de villis Polgoriae et aliarum villarum et locorum de quibus in capitulo, respondetur ut in proximo capitulo responsum est, et eo magis quia Raspurch in hoc bello justo captum fuit, et ante treugas et tempore ipsarum treugarum et per agentes pro præfata Cæsarea Majestate legitime possatum.

Ad ultimum respondetur ut responsum est supra in primo capitulo.

Ex quibus ergo concluditur, agentes pro Cæsarea et Catholicæ Majestate non occupare, vexare nec turbare aliqua loca nec jurisdictiones aliqua, propterea non esse deveniendum ad aliquam abstinentiam dictorum locorum, scilicet persistendum et continuandum esse per ipsos agentes in possessione dictorum locorum et jurisdictionum justa et legitima, salvis tamen semper et reservatis aliis responsibus si et ubi opus erit.

Producta per magnificos Cæsareos in conventu.

Exemplum.

101^o

Reverende Domine frater colendissime.

L'ultime mie forno di 7, breve, et ve díss come il Reverendissimo fece l'intrada a di 6, il zorno avanti, et vi promisi far intender più ordenariamente

(1) La carta 100^o è bianca.